MAURITII BRESSII REGII LUTETIAE MATHEMATICI ET AD SUMMUM PONTIFICEM...

Maurice Bressieu

IN MAVRITIVM BRESSIVM MATHEMATICVM,

Et Oratorem Regium.

GVILIELMI BLANCI ALBIENSIS IVRISCONSVLTI

Epigramma.

BRessivs in ſacro facundus verba Senatu
Plurima dum noſtri nomine Regis habet,
Admirans Cicero, meus eſt hic filius, inquit:
Hunc mihi namque mei progenuere libri.
Agnoſco faciem, ad viuum eſt Ciceronis imago
Expreſſa, & meme filius ore refert.
Nec minùs ipſe tibi, quàm tu mihi, Gallia, debes:
Galla mihi vt proles, ſic mihi Galla parens.

AD ILLVSTR.MVM ET REVER.MVM
D. ALEXANDRVM PERETTVM
CARDINALEM DE MONTE ALTO,

SIXTI V. PONT. OPT. MAX. SORORIS NEPOTEM,

MAVRITII BRESSII clientis ipſius obſequentiſsimi epiſtola nuncupatoria.

VT orationem Chriſtianiſſimi Regis nomine ac mandato à me ad Pontif. Opt. Max.habitam, plurimorum illuſtrium virorum cohortationibus & quotidianis pene conuitijs peruulgare ſtatui,faciendum mihi eſſe duxi, vt eam illuſtriſſimæ amplitudini tuæ dicando, aliquam ſingularis meæ erga te obſeruãtiæ ac venerationis teſtificationem ederem,donec plura de vtriuſq; veſtrũ, ſummi inquam Pontificis tuiq; ipſius laudibus, & Regi referre, & tum publicè commemorare, tum ſcriptis mandare, parto vberiore otio,concederetur. Cùm enim virtus nullam aliã quàm laudis & gloriæ mercedẽ poſtulet, veluti Homerus indicat, dum adoleſcẽtem ad fortitudinẽ adhortatur, quò laudetur à poſteris, Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ,tibine Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Cardinalis,cuius laudes non iam vrbis Romæ,non Italiæ finibus coercentur, ſed longè ſe ac latè fundentes, traiectis Alpium obicibus, tota Francia in ore ac ſermonibus om-

nium verſantur, meritum debitumq; elogium non pro virili tribuam? Cui diuitiæ non luxus & prodigalitatis, ſed liberalitatis fomenta ſunt & adminicula: otia, non ſocordiæ, ſed ſtudiorum liberalium inuitamenta: opes, non impotentiæ, ſed moderationis inſtrumenta. Vt enim Solis orbis puriſſimus radiorum per turbidum & impurum aërem tranſitu, nihil ſordium contrahit: ſic eximia virtus tua, nihil tot ac tantis vitiorum illecebris, & deprauatis huius ætatis moribus contaminatur. Exemplo omnibus manifeſtiſſimo, eximiá indolē, præſtantem educationē nactam, celeriore laudabiliū morum ad virtutē curſu, quàm annorū ad ætatē, contēdere. Non enim te doctor tuus, vt Phthiotam adoleſcentē, Ducē Myrmidonū Phęnix quidá, fugitiuus homo, animantiū medullis aluit, ſed ille ætate, ſanctitate & Apoſtolica poteſtate venerandus ſenex, vniuerſi gregis Chriſtiani Paſtor, monitis præceptisq; ſalutaribus imbuit & inſtruxit: vt qui ſororis ipſius nepos es, maiori ipsū ſanctimoniæ, quàm ſanguinis propinquitate & cognatione attingeres. O te itaq; felicē, Felicis inſtitutione feliciſſima! Re namq; ipſa intellectū eſt, non vanum in Pontifice maximo extitiſſe omen nominis, cum is tanta felicitate vſus, tam ſapiēter moderetur terris. O te felicem, qui quotidie familiari illius colloquio fruaris, cuius vel ipſa vox ſalutē beatamq; vitam impertitur hominibus! O te felicem, qui nō aliunde bene beateq; viuendi exempla repetas, ſed domi exemplū habeas, quod totus ſibi ad imitandum proponat Orbis! Quod quidem ſi, vt facis, imitando cōſectari perges, nihil erit profectò inter homines tam excelſum tamq; arduum, quò non aſpirare poſſe fortuna & amplitudo tua videatur. Vale.

MAVRI-

MAVRITII BRESSII REGII LVTETIAE MATHEMATICI, ET AD SVMMVM PONT. ORATORIS,

Romæ habita Oratio.

ADEST BEATISSIME PATER, à Francorum & Polonorũ Rege Chriſtianiſſimo Henrico III. ad gratulationis & obedientiæ munus obeundum, ad te miſſa legatio: ſeriùs, ſi duntaxat præteritum ab inauguratione tua tempus reſpexeris: ocyùs, ſi belli maximi, quo ardet Frãcia, grauiſſimas occupationes, & impedimenta ſpectaueris. At opportuniùs, ſi plenior & vberior Regi expectanda fuit gratulandi occaſio. Quam ipſe tùm ſuppeditaturus eras, cùm vti proximè ad immortalẽ Deum pietatis artibus & ſanctimoniæ ſublatus es, ſic eiſdem conſtanter & continenter colendis, Illuſtriſſimorum & Reuerendiſſimorum Cardinalium ſuffragia & honorifica de te iudicia confirmares & comprobares. Nec enim ijs aſſentior qui ſtatim vt illi quorũ laudibus fauent, nouis honoribus aucti ſunt, vidẽtur ſibi defuiſſe officio ſi non ipſis vel præſentibus coram, vel abſentibus per legatos, primo quoq; tempore gratulentur. Verùm honores, dignitates, imperia, talia cenſeri debent, qualis eius eſt qui ea conſecutus eſt animus: rectè vtenti, ornamento ſunt: ſecus, dedecori ac turpitudini: quòd quãtò quis editiore conſtitutus loco eſt, tantò eius illuſtriora quæq; facta ſint, Iamq; multis ſua ipſorũ claritas obfuerit. Vt enim deformibus non captanda lux, nec optanda theatra, ſic viris non virtute pręditis, priuatæ vitæ obſcuritas, honorum & Imperiorũ celebritate optabi-

optabilior. Qui enim fidibus neſcit canere, is ſi teſtudinis neruos in frequenti hominum cœtu pulſet, omniū irriſione ludetur. Medendi rudis, ſi medicinam facere non dubitet, pro curanda ægrotorum valetudine, alios in morbos inſanabiles conijciet, alijs vitam eripiet. Quod ſi nauis gubernaculū tractare audeat, qui nauim nunquam conſcenderit, mare nunquam aſpexerit, proculdubio is ſuo vectorumq; capite, naufragio facto, luet. Sic certè eſt optabilis dignitas, ſed dignis. Expetendi ſunt honores, ſed honeſtis: propterea quòd nō cohoneſtari homines imperijs, ſed hominibus decorari imperia ratio poſtulat. Quod cui contingit, huic clientes & amici fidenter iam, quaſi res in vado ſit, gratulantor. Prius autem quàm quis eiuſmodi documētum ſui dederit, teſtari cōceptum ex dignitatis ipſius acceſſione gaudium, humana fragilitas, ad vitium quàm ad virtutem procliuior, vetat. Quibus de cauſis, vel ſi Regi ſolutiſſima fuiſſent omnia, non ei tamen feſtinandū, ſed ad hoc vſq; temporis de induſtria differendū fuiſſe hodiernæ gratulationis officium crediderim. Nunc autem cum ſummi ſacerdotij adminiſtratione plus quàm annua, eaq; longè omnium ſanctiſſima & religioſiſſima, omnis omninò omnibus præciſa ſit dubitatio, quam tua ſanctitas in partē ſeſe datura ſit: & ſingularis planèq; diuina virtus tua toti orbi ſpectata, probata, commendata ſit, non debet non tempeſtiua videri hæc Maieſtatis Regiæ, cùm ob auctam dignitatem tuam, gratulatio: tùm ob rectè præclarèq; geſtam, collaudatio. Nunc enim demum, perſpectis & exploratis rebus omnibus, Regi certò pronunciare licet, beatam & fortunatam Sixto Pontifice catholicam & Apoſtolicam eccleſiam: ſed & beatum fortunatumq; Sixtum, quòd is ſe præſtet digniſſimum, qui quàm diutiſſimè præſit eccleſiæ.

Quis enim non te, Pater Optime Maxime, quantū ex Pontificatu ornamenti acceperis, tantūdem ipſi referre clariſſima voce prędicat? quis non Chryſoſtomos, Athanaſios, Ambroſios, Auguſtinos, ſic non adumbratos abs te, ſed expreſſos, effictos, imitatos, tum doctrina, tū moribus dixerit, vt eorū etiā nonnullos tantùm non ſuperaſſe & tranſilijſſe videaris? & cui non audita ſanctimonia tua, Pontificum ſanctiſſime, ſanctorum Pontificatu digniſſime? qui doctis & eruditis pontificibus pietate, pijs eruditione an-

ne antecellis? vel potiùs ſimul vtroſq;,& doctrina doctos,& pietate pios exſuperas? Quid loquar vt non ſolùm ſacris eccleſiaſticiſq; rebus optimè proſpexeris, verùm etiam cura prouidētiaq; tua Romanæ Reip. commoda & decora ſis cōplexus? Tu, quaſi alter Ioſeph, conquiſito & coempto vndiq; frumento, & viliori quàm conſtiterat pretio diſtributo, vrbem annonæ caritate, qua vniuerſa propè laborauit Europa, liberaſti: eiq; ſumma in inopia, copiam: in penuria, abundantiam conciliaſti. Tu cùm exhauſtum Apoſtolicum ærarium offendiſſes, ipſum parſimonia & frugalitate tua, grandi auri argētiq; pondere locupletaſti, nec locupletare deſinis: theſauros congerens, vt ſacris conſtitutionibus tuis poſteritati teſtatus es, ſecūdis eccleſiæ rebus ornamento futuros: durioribus & aſperioribus, præſidio & adiumento. Tu, quòd heſterno die feliciter perfectum abs te eſt, & nos modo prætereuntes admirati ſumus, immenſæ molis & ponderis obeliſcis, antiquitatis miraculis, obſcuris & ignobilibus è locis in illuſtriora tranſportandis, & pro inanibus cuiuſdam Imperatoris cineribus, ſalutaribus crucis inſignibus nobilitandis, (quod facinus nemo Pontificū tot ſeculis auſus fuerat aggredi,) ſummū ipſis nitorem, ſummum vrbi decorem adieciſti, primuſq; artificum induſtriam excitaſti & acuiſti ingenia. Tu expeditioris & liberioris commeatus gratia, valles attollens, montes deprimens, maxima admiratione & acclamatione omnium, rectiſſimas latiſſimaſq; vias aperuiſti. Tu quoque librandis & ducendis è longinquo aquis, gelidis puriſſimorum & limpidiſſimorum fontium, verèq; de tuo nomine felicium, perennitatibus, iuga montium huiuſce vrbis altiſſimorū ditas & beas. vt dum illi ex aridis per te fiunt irrigui, ſimul ex deſertis & incultis fiāt cultiſſimi, & loca natura ſaluberrima, tua reddātur opera celeberrima. Tu idem vaſtiſſimas & profundiſſimas paludes, quæ longè lateq; ſtagnantes Italici ſoli partem occupant nō exiguam, exſiccare paras: nulli nec operę parcens, nec ſumptui, dum maior inde fertilitas accedat agris, frugumq; prouentus & vbertas plenior. Vt interim taceam ſexcenta abs te alia heroici verèq; Pontificalis animi quotidie edi ſpecimina. Quis nanq; præſtantium & doctorum virorum merita virtuteſq; ornat præmijs munifi-

centiùs? Quis vindicat improborum,& ſceleratorum fraudes & delicta,vti tempora poſtulant,ſeueriùs? Operæpretium verò eſt conferre præſentem Italiæ ſtatum cum ipſius deformitate & vaſtitate priſtina. Priùs nanq; mare prædonibus,ſyluæ latronibus, vrbes ſicarijs,domus veneficis infeſtabantur. Nunc autē,pari ſecuritate maria nauigantur ac flumina. Nemora non maiori periculo peragrantur,quàm per vrbes inceditur. In vrbibus æquè tutò conſiſtitur,ac in ſuis cuiuſq; ędibus:quas qui violat,videtur ſacratiſſima Diuorum altaria violaſſe. Tantam tam breui tēpore,pro legum contemptu,formidinem:pro Magiſtratuum deſpicatu, obſeruantiam; pro religionis incuria, numinis venerationem,Sixti Quinti, non armati,ſed togati, Felicis vtique felix & aureus Pontificatus attulit.

Dies me deficiat finiſq; nullus ſit, ſi quibus eximia & inclyta virtus tua,Pater ſanctiſſime,finibus continetur,ſi modò vllis cōtinetur, iiſdem circunſcribere orationem meam poſſe exiſtimē. Sed quemadmodum qui arenas litoris, vel fluctus maris,vel cęli ſidera dinumerare inſtituerit, ſemper quantamcunq; partem recēſendo percurrerit, eam totius ne milleſimam quidem eſſe ſentiet,nec quod reliqui fiet tali deceſſione imminui animaduertet: ſic mihi in vaſtiſſimas & innumerabiles laudum tuarum, vt ita dicam,arenas,& immenſum pelagus ingreſſo, nulla conſequēdi exitus ſpes affulget, omnemq; ingenij perſtringunt aciem diuinitatis tuæ lumina.Lumina & claritate lucidiſſima,& magnitudine ampliſſima,& multitudine infinita. Lumina,vel cęleſtibus ignibus tantò ſplendidiora, quantò lux Euangelica omnia quæ ſub aſpectum cadunt fulgure ſuo ſuperat.Quę quò plura & illuſtriora ſunt,eò Rex Chriſtianiſſimus tibi quàm commendatiſſimus eſſe & acceptiſſimus,vt patri filius, idemq; natu maximus, optat ardentiùs. Atqui ſi quis eſt omniū quos ſol aſpicit Regum iſto tanto,tàm optabili, tamq; ſingulari honore bonoq; dignus, certè Rex Chriſtianiſſimus is eſt. Qui vſq; à Pharamūdo primo Francorum Rege propagata & abſq; intermiſſione continuata Regum ſerie.Rex ſecundus & ſexageſimus,habenas florētiſſimi Orbis regni ſingulari ac pręcipuo immortalis Dei beneficio moderatur.Etenim quę poſt homines natos extitit natio,quę ſe cōſimili

ſimili cumulatã à cœleſtibus beneficentia iactare gloriariq; audeat? Vbi tandem gentiũ, vel tãta regni ſtabilitas, vel tam certa perpetuitas, vel Regum copia numerusq; par vel fando extitiſſe perhibetur? Vbi ſimilis vel rei militaris gloria, vel pacis artium nobilitas, vel fidei & religionis Catholicæ non ſolùm ſtudium flagrantiſſimum, ſed cùm acerrima propugnatio, tùm verò per vniuerſam Europam, Aſiam, Africam dilatatio & proſeminatio? Hi namque ſunt, qui Hunnorum Regem Romani Imperij terrorem, omnia circùm longè lateq; quingẽtorum millium armatorum exercitu vaſtantem, cæſis in agro Galliç Cathalaunico centum octoginta hominum millibus, profligarunt. Hi ſunt quos virtutum merito laudisq; bellicæ, cuius fama iam tum vſq; ad remotiſſimas ſolis Orientis partes penetrauerat, Iuſtinianus Imperator Gallia Narbonenſi donauit. Hi ſunt quos Arrianiſmi omnisq; hçreſeos hoſtes infeſtiſſimos cùm Viſigotthos Arrianarũ partium gentem, quæ princeps rem Romanam labefactare auſa fuerat, in Aquitania debellaſſent, prætexta & inſignibus Conſularibus, qui honos illis temporibus ab Imperatore deferebatur maximus, inſuperq; aurea corona gemmis pretioſiſſimis redimita Imperator Anaſtaſius decorauit. Hi ſunt qui trecenta octoginta quinque Saracenorum millia, viam ſibi ad Imperij & religionis Romanæ euerſionem per ſtrages & cadauera Francorum ſternere cogitantia, commiſſo ad Turones prælio ceciderunt. Hi ſunt qui Chriſtianiſmi quidem vindices & aſſertores certiſsimi, Regum autem finitimorum adiutores & opitulatores fideliſſimi, euocati ab Alphonſo Caſto Hiſpaniarum Rege, vt author eſt vir ſanctiſſimus Rodericus Toleti Archiepiſcopus, eandem Saracenorum gentem ex Hiſpanijs quas occupauerat exterminarunt. Hi ſunt, qui Saxonas, Danos, Hunnos, Baioarios, aliosq; plurimos tandiu armis fatigarunt, donec eos tandem coëgerint amplecti fidem Catholicam, noſtrisq; initiari ſacris.

Nec verò ſilentio prætereunda eſt ea, quæ ad hodiernum vſq; diem Francorum Regibus cum ſummis Pontificibus interceſsit neceſsitudo arctiſsima, & firmiſsimum amicitiæ vinculum. Imminet vrbi Romæ & pontificatui Langobardus? Martelli metu

abſiſtere incœpto cogitur. Inſectatur ſummum Pontificem Stephanum Aſtulphus? Pontifex ſeſe ad Pipinum recipiens, ab eo in Italiam exercitum tranſmittente in priſtinam dignitatem reſtituitur. Fidem opemque Caroli implorat aduerſus Deſiderium Hadrianus? è veſtigio ſpoliatur Regno Deſiderius, ſuaque omnia Pontifex optimus recuperat. Parem nonnullorum Principũ proteruiam, Regum autem noſtrorũ amicitiam, Vrbani, Paſchales, Gelaſij, Calixti, Innocentij ſenſerunt. Denique Ducatus Spoletanus, Hexarchia Rauennatum, Sardinia, Corſica, Sicilia, & vnicum toto Orbe extra Romam Pontificatus quondam domicilium Auenio, ſempiterna pietatis Regum Franciæ erga ſedem Apoſtolicam monumenta ſunt. Pręclara quidem illa, ſed quibus cognata ſint & affinia quæ ab eorum Regũ poſteris geſta ſunt. Nam cum Turcæ bellicoſiſſimis nationibus ſubactis, Aſiæ Dominatum inuaſiſſent, & illa Patriarcharum inclyta ſedibus, inclyta Prophetarum oraculis, inclyta humanæ ſalutis & redemptionis myſterijs Hieroſolyma, victricibus eorum armis oppreſſa tenerentur, quaq; ex vrbe in Orbem manarat pietas, in ea teterrima ſuperſtitio regnaret, Reges Chriſtianiſsimi ad ſuſcipiẽdam aduerſus eos expeditionem, Claromonte Aruernorum oppido claſsicum Europę toti cecinerunt. Diceres Francos Turcis, Europam Aſiæ, religionem ſuperſtitioni, pietatẽ impietati, bellum indicere. Ac ne referam quàm varijs, mari tempeſtatibus, terra incommodis & aſperitatibus, iactati vexatique fuerint Europæi exercitus, quibus non cum hoſte modò luctandum fuit; verùm etiam ac multò ante cum procellis & fluctibus, cum præruptis rupibus ac præcipitijs, cũ ſolitudinibus, ſiti, fame, æſtu, peſtilentia, inopia, alijsque innumerabilibus malis: dicam victa ab ijs tandem fuiſſe omnia, emenſum mare, peragratas ſolitudines, ſuperatos montes arduos. Quid multa? fugatis fuſisque ſępiùs Turcis, Hieroſolyma recuperata ſunt, & priſtinam in libertatẽ vnà cum quàm plurimis prouincijs vindicata. Hinc factum eſt, vt Francia leges Aſiæ imponeret: Europæi Turcarum ſpolijs ditarentur, Chriſtiani Aſiatici ſeruitutis iugo liberarentur: Parthi, Perſæ, Ægyptij, occupatis ſedibus pellerentur ſpiritusque demitterent: belli autem & ſuſcipiendi authores, & gerendi Duces,

ces, ſempiternam ſibi ſuiſque gloriam compararent. Quandoquidem expeditio nulla, nec ſuperioribus ſeculis ſuſcepta eſt, nec ſuſcipietur poſteris, iuſtior aut glorioſior. Nam quid ad eius commendationem eſt quod deſideres? Si cauſam mouendi belli ſubeſſe iuſtam oportuit, non eos cæca auri fames armauit, non longè lateque dominandi cupiditas inflammauit, ſed vna pietas & extorquendi de Sacrilegorum manibus ſacroſancti ſoli ſtudiũ ad arma capeſſenda Francos impulit. Sin autem cum potenti hoſte ac nobili belligerandum fuit, quòd virtute victi clareſcat victor, bellum non cum imbellibus ab ijs geſtum eſt, non cum hominibus armorum ferrique rudibus, ſed cum ferociſſima & bellicoſiſsima Turcarum natione: Orientis victrice. Denique non hoſtium ignauia, ſed virtute propria: non benignitate fortunæ, ſed fortitudinis gloria: non victoria periurio redimenda, ſed ſanctè ſeruanda fide, ſacra tellus recepta eſt: eaque palma Dei munere noſtris hominibus reſeruata. Non me tamen fallit multas quoque alias Europæ nationes ſtrenuam, & egregiam in eo bello nauaſſe operam, ſed eo inſigniorem Frãcorum laudem exiſtimo, quòd tam præſtantes virtutis æmulos ſociosque nacti, tãtum eiſdem antecelluerint. Nam quin cum bello ſacro, tum ſem per aliàs Franci primas tenuerint, dubitari non poteſt: cùm eius belli conſilium in Francia fuerit initum: cum Hieroſolymorum Rex conſenſu omnium ex nobilitate Francica ſit creatus, Gotthofredus Billonius: cùm ipſi Turcæ omnes Europæ populos, Græcis exceptis, nuncupauerint Francos, perinde ac ſi Europa Franciæ militaret auſpicijs, Francorumque appellatio, non gentis eſſet, ſed cauſæ pietatiſque nomen. Ac ſanè fuit vſque adeo celebris Regum Francię pietas, vt inter Chriſtianos Reges Chriſtianiſsimi dici meruerint, & maluerint, quàm Poliporthi, Poliorcetæ, Africani, Germanici, Scythici, Gotthici, Parthici, Alanici, Vandalici nuncupari. Quid autem clamant & vociferantur aliud tot ab ijs extructa Deo Diuiſque magnifica & ſumptuoſa delubra? tot religioſiſsima Monaſteria? tot xenodochia ditiſsima? tot cœnobia opulentiſsima? Quid tot ſynodi, quibus ipſi Romani Pontifices præfuerunt, in Francia tanquam Chriſtianæ ditionis arce & certiſsimo aſylo habitæ? Rhemenſis, cui

Eugenius præfuit: Claromontana, cui Vrbanus: Turonenſis, cui Alexander: Lugdunenſis, cui Gregorius? Quid etiam tot ſanctiſſimi Monaſticæ vitæ ordines, qui originem ex Francia ducunt ſuam? Apud Burgundos, Cluniacenſis, & Ciſtercienſis: apud Picardos, Premonſtratenſis: apud Aquitanos, Grandimontanus: apud Delphinates, Carthuſianus? Quo circa nuſquàm tam pręſentes ſuperi, nuſquàm tam euidens Dei fauor. Quippe qui ſacratum in Diui Dionyſij ęde vexillum, flammulam maiores vocauerunt, certiſsima in prælijs comitetur victoria. Quique ſuum cum Francorum Regibus, prope dixerim, numen imperiumque communicet. Nihil enim eſt quo diuina ſe poteſtas prodat apertiùs, quàm, vti è ſacris literis intelligitur, morborum deſperatorum ſanatione. Huius diuinæ facultatis priuilegio pietatem Regum Franciæ ſuperi remunerati ſunt. Videas enim eos, qui dirũ ſcrophularum virus conceperunt, manus medicas expertos fruſtrà, ſimul ac ſalutari Regum dextra tacti ſunt, ſanos valenteſq; recedere. Qualis enim palmarum Moyſis ad cœlum tenſio, qualis appoſita ab Eſaia vulneri Ezechiæ maſſa ficuum, qualia Elię Eliſæique corpora, quales baculi, qualis Apoſtolorum oratio, qualis manuum impoſitio, qualis vmbra, qualia ſudaria, talis Francorũ Regis ſacra ſalutariſq; dextra. Nec verò in huius laudis ſocietatem veniet reliquorum Regum, aut Imperatorũ quiſquam: ſed Regum Franciæ ea eſt peculiaris & propria. Vt non immeritò, ſicut à clariſſimis Italiæ Iureconſultis ſcriptum eſt, Regis appellatione, quoties abſolutè dicitur, ſemper accipiatur Rex Franciæ. Enimuerò mirari ſatis non queo tam eximium ac ſingulare Dei donum, quòd cum æneus ille Moyſis ſerpens iam nullus extet, nuſquam aut maſſa ficuum, aut Eliſæi, quodſciam, baculus appareat, Regum tamen hæc quam dixi virtus, non vnius aut perſonæ ſit, aut temporis, ſed vniuerſæ genti Regiæ hæreditaria cedens, nunquàm nec debilitetur, nec conſeneſcat. Tanta eſt vis perennis illius, ac cœlitùs per columbam ad Clodoueum Regem demiſsi olei, quo Reges Franciæ conſperguntur & inunguntur! Ita Francorum Reges hinc morbis corporum depellendis humano generi conducunt plurimùm: hinc vel maximè, quod ſemper, vt ante demonſtraui, Franciam Pontifica-

tificatus perfugium,religionis præſidium,pietatis officinam,hęreſeos carnificinam præſtiterunt. Neque id priſci illi modo Pipini, Caroli, & vitæ integritate relati inter diuos Ludouici,atque alij,ſed patrum memoria, Fräciſcus Valeſius Regis auus, rerum geſtarum magnitudine muſarumque cultu magni nomen conſecutus,& Henricus Pater, quorum exercitus Romano Pontificatui fuerunt ſemper præſidio.Nunc etiam Catharina Medicęa, Regina mater,Reginarum præſtantiſſima,& religionis catholicę ſtudioſiſſima.Quibus quidem maioribus & parentibus quàm ſe dignum Henricus III. præbuerit, iam tum planum omnibus fecit,cum flagrante & æſtuante bellis ciuilibus & inteſtinis Fräcia, aduerſarijs Regni vrbium, partim in ditione ſua obtinentibus,partim obſidione prementibus,partim obſidionis formidine & terrore complentibus, belli pro religione gerendi & adminiſtrandi ad eum ſumma delata eſt: cum eius in ætate immatura, matura iam eluceret prudentia & fortitudo. Nec enim is Regis Caroli & Fräcorum ſpem fruſtratus eſt: ſed bella ſingula ſingulis confecit prælijs, ſingula prælia totidem illuſtrauit victorijs, victorias non deſidia & ignauia contaminauit, ſed cogendis in rationis & religionis gyrum aduerſarijs celebrauit. Teſtis Iarnacenſis victoria. Teſtis Monticontorenſis. Teſtes tot ſtrages hoſtium,tot expugnationes vrbium. Quorum facinorum cum per omnes oras fama circũferretur,accidit vt Sigiſmundus Rex Sarmatiæ fato concederet, & clariſſimi quiq; Reges & Principes id ſibi tradi Regnum percupidè,perq; ſtudioſè ambirent.Iis tamen præteritis,publicis Regni Sarmatici Comitijs, Rex Poloniæ electus,nominatus,creatus eſt.Idq; non hinnitu equi: non augurio auiũ:non primo Solis Orientis aſpectu: nõ vultus,quanquã ſpecioſiſſimi,pulchritudine: nec corporis,licet præſtantiſſimi, proceritate: ſed libero nationis ſolertiſſimæ iudicio, virtute parto. Geſtiebat & exultabat tanti adeptione boni Polonia: mœrebat amiſſione Francia, ſed ſuperi ipſum in Franciam quò votis omnium vocabatur fratris è vita migratione reuocantes, diutiùs à ſuis ciuibus deſiderari non paſſi ſunt. Ijs autem redditus,omnia laudum genera quibus par eſt inſtructum eſſe bonum principẽ, in primiſq; pietatem conſectatus eſt. Quis enim eſt qui neſciat

quàm

quàm is ſit religioſus cultor diuini numinis, qui tot tantisq; pro religione Chriſtiana periculis caput ſuum obiecerit? tot ab ineunte adoleſcentia bella geſſerit? tot commiſerit pręlia. Qui ad lōginqua Diuorum templa multas peregrinationes pedes ſuſceperit? Qui tàm ſtudioſè adauxerit vrbes fanis, fana ſacerdotibus, ſacerdotes pietate, pietatem conſtantia? Qui ſuis ſeipſum populis ſanctitatis normam, religionis regulā, virtutum exemplar omniū propoſuerit: Nec interea tamen Regni adminiſtrationi vnquam defuerit? Quod enim tempus aleæ, quod luſui & luxui, quod voluptatibus, quod ludorū ſpectaculis, quod epulis, quod animi remiſſioni, pleriq; Principum tribuunt, id ille vltra pręſcriptas omnibus Chriſtianis horas, in Dei cultu ponens, reliquum in rebus Francicis procurandis collocat. Quibus qua ſedulitate ingenijq; ſolertia eſt præditus, ita cumulatè ſatisfacit, vt nihil ſupra. Verùm cùm omnia quæ ad religionis Chriſtianæ cultum pertinēt Rex, inſtar Melchiſedechij vel Moyſis, maxima ſedulitate accurat, Tum verò vel maximè fauet Franciſcanorū familiæ, vti eum æquum eſt, qui Beato Franciſco, ſecundū Deū, ſuam & patris & aui vitam acceptam ferat. Recordatur enim proauiam deſperata prole, cum Beatum Franciſcum appellaſſet, ipſo cōciliatore auctā filio: Inde ei Franciſco nomen inditū. Recordatur diuo Dominico viſum in ſomnis Beatū Franciſcū, cum is labantem, & laborantem Chriſti Eccleſiam ſubiectis humeris, quaſi Chriſtianus Atlas, fulciret. Vir ea integritate & caſtitate vitæ, vt Chriſti adumbrator ſit habitus, eius autem inſtitutor diſciplinæ, qua nulla ſanctior ad hodiernum vſq; diem eſt prodita. Felicitate deniq; inſtituti tanta, vt ſectatorum numero reliquas omnes monachorum familias longè multumq; ſuperauerit. Nec dum tamen id quod caput eſt expoſui. Recordatur enim ab eadem ſocietate complures ſacroſanctę Eccleſię Romanæ paſtores celeberrimos prodijſſe, Nicolaum IIII. Turcarū, pro tuenda religione Chriſtiana oppugnatorem acerrimū. Alexandrum V. Pontificem ea erga doctos & literatos viros liberalitate, vt ipſe de ſe ipſo iucundè ac ſuauiter narrare gloriarique fuerit ſolitus, fuiſſe ſe Epiſcopum diuitem, Cardinalem inopem, Papam mendicum. Sixtum IIII. doctrina ſingulari, ſcriptisq;

eximijs

eximijs operibus clarum. Nunc autem eiuſdem te alumnum diſciplinæ, Beatissime Pater, qui tantùm ceteris quantũ maturi ſenes pueris antecellas, nauigij beati Petri clauum tenentẽ & ſapientiſſimè moderãtem cernit. Vt enim in re nautica ex remige fit proreta, ex proreta gubernator, ſic tua per omnes eccleſiaſticos ordines ordine circunducta virtus, ad extremũ, non ſine Dei numine, ad ſummum humanæ celſitudinis verticem perducta eſt. In quo te conſtitutũ nihil optare amplius, certa conſtantiq; fama accepimus, niſi vt te Deus Opt. Max. tam vaſtæ naui gubernandæ parem perficiat, quò ipſam tot actam procellis, tot diuexatam hæreſum tempeſtatibus, tua ſanctitas ad tutiſſimũ & optatiſſimũ ſalutis portum appellat. Quod ita facillimè conſecutura videtur, ſi Chriſtianos Principes, vt quiſq; ceteris virtute, meritis, dignitate, cultu & obſeruantia tui anteit, ita eum arctiſſimè paterna charitate tua complectaris, votiſq;, & fauſtis ominationibus, quibus mirum quantũ apud Deum polles, proſequaris. Quæ quidem Rex Chriſtianiſsimus Sanctitatem tuam ipſi tributurã confidit, planèq; exploratum habet eo ipſum loco & amplitudinis Maieſtatiſq; gradu habiturã, quo hactenus inter Chriſtianos Principes Reges noſtri à Summis Pontificibus ſunt habiti. Tanquàm nulla re circũſpectiùs & prudentiùs Chriſtiano nomini, dignitatiſq; Pontificiæ ſtabilitati & ſecuritati cõſulturam. Sed & ipſe viciſsim te & agnouit ſemper antea, & in præſentiarum agnoſcit Ieſu Chriſti Vicarium. Quod vt palàm omnibus faceret, non ſatis habuit Ioannem Viuoniũ, Marchionem Piſanij & vtriuſq; ordinis Equitem Torquatum, ex principe inter ſuos familia oriundum, ac tum rebus bello geſtis clarũ, tum prudẽtiſsimè obitis legationibus celebrem, & fideliſsimum animi ſtudijq; erga te Regij interpretem & ordinarium Legatũ ad te mittere: verum etiam quo ſuam erga te obſeruantiam & venerationem teſtificaretur illuſtriùs, legauit extraordinariè ad præſtandam tibi obedientiam, Franciſcum Luxemburgum, Ducem Pinei, Parem Franciæ, & vtriuſq; ordinis Equitem Torquatum, Virum non ex vulgari nobilitate vnum, ſed ex priſcæ nobilitatis Principibus: nec modo Principibus, verum etiam Principum totius orbis Illuſtriſsimis. Qui ſingulari erga Franciam pietate

pietate,erga Regem ſtudio & obſequio,erga religionem catholicam zelo, non minus quàm eorum quorũ ex gente ortus eſt Regum, Imperatorum, & miraculis illuſtrium ſanctorum commẽdatione ac meritis, huic obeundæ prouinciæ ſelectus à Rege ac deſtinatus eſt. Accipe igitur Sixte Pontifex Pontificumq; maxime & beatiſſime. Sixte ſumme ſacrificator. Sixte humani parẽs generis. Sixte diuum hominumq; internuncie, qui cum ſuperis homines, cum hominibus ſuperos concilias. Sixte, qui vt Beati Petri Apoſtoli ſedes ſolio,ſic eiuſdem vrges veſtigia. Hæres, vt muneris,ſic ſanctimoniæ: ſucceſſor,vt dignitatis, ſic pietatis, fidei,iuſtitię,patientiæ, ſpei, miſericordiæ, Chriſtianarumq; virtutum omnium: quem quaſi aliquod de cœlo delapſum numen ſuſpicit, veneratur,& adorat vniuerſitas, tuaque in primis ſuo cum Rege Francia, Tu, inquam,vnà cum auguſtiſſima venerandorum & pietate inſignium Patrum corona, accipe grato animo lætoq; vultu hoc Regis Chriſtianiſſimi filij tui primarij & obſequentiſſimi officium, qui ſanctis maiorum ſuorum inſtitutis inſiſtens,nec eum in quo conſtitutus ab ijs eſt,virtutis ordinem & ſtationem deſerens, ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ ſanctitatiq; tuæ vltro in præſentia defert, ſpondet, præſtatq; obedientiã,& ſe ſuasq; omnes opes,copias,auxilia, prouincias, Regna, nationes,nunquàm non eidem tibi præſto futura, vt ſemper antea,hodierno die pollicetur. Pollicetur & quos habet ſedes & fides Apoſtolica hoſtes,quos amicos,eoſdem ſe pariter, & hoſtes & amicos ducturum. Pollicetur deniq; ſinceram & catholicam religionem, cuius tutelæ ac patrocinij hæreditatem à maioribus accepit & ſuſcepit, ſeſe dum viuet eximia veneratione culturũ, ſummo ſtudio propagaturum, ſingulari conſtantia ad extremum vſq; ſpiritum defenſurum.

Iulius Riccius Viceg.

ROMAE, Apud Iacobum Ruſinellum. 1586.